2

Q. D. B. V.

*De*

# CONSVETUDINE

Exercitationem Medicam

*SUB UMBONE*

VIRI

*Nobiliſſimi, Excellentiſſimi & Experientiſſimi*

**DN. JACOBI PANCRATII BRUNONIS,**

Phil. & Med. Doctoris, inq; hâc Facult.
Inſtitutionum & Praxeos Profeſſoris publici
longè celeberrimi,

*DN. Patroni, Promotoris magni ac Præceptoris
ſui perpetuo cultu & obſervantiâ ætatem
mactandi,*

IN INCLUTA UNIVERSITATE ALTDORFFINA
Publicæ & placidæ Synagoniſtarum ventilationi
ſiſtit

FRIDERICUS WILHELMUS SCHAFFERUS,
Einbeccâ-Brunſvicenſis
*AUTOR,*

loco & horis conſvetis,
*Ad diem 10. Martii,*
ANNO DOMINI cIↃ IↃc LXXVII.

---

*ALTDORFFI,*
Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

# PROOEMIUM.

*IN universâ Medicinâ nihil ſcitu & conſideratu magis eſſe neceſſarium, Cauſis ſanitatis & morborum, extrà omnem dubitationis aleam poſitum arbitror. Inter has verò Naturam & Conſvetudinem, utramqve, qvod dicitur, paginam facere, & hoc nemo facilè impugnabit. Etenim licet Natura, per qvàm primariò humorum, ſangvinis præſertim vitalis, & ſpirituum animalium, dependenter & ipſius corporis ſuorumqve membrorum organicæ ſoliditatis conſtitutio rectiſſimè intelligitur, qvâ integra qvâ corrupta & vitioſa, ad ſanitatis vel morborum effectum producendum ſufficere videatur, Conſvetudinem tamen qvandoqve locum Naturæ, hanc immutando, occupare & ità potentiam vel impotentiam agendi naturalem promovere, experientiâ rerum magiſtrâ docemur. Argumentum igitur haud levis momenti elegiſſe pro Exercitio qvodam Medico Academico mihi videor, dum* Conſvetudinis *naturam & efficaciam Medicam breviter & ſuccinctè, qvantum ex privatis prælectionibus, diſcurſibus, ut & accuratis Dogmatibus Medicinæ Generalis* Excell. DN. PRÆSIDIS, *per ingenii tenuitatem addiſcere licuit, proponere mecum conſtitui, præſertim cum vel neminem vel fortè pauciſſimos hanc materiam ex profeſſo & ſolidè tractaſſe mihi conſtet, qvamvis plures veterum & recentiorum Conſvetudinis potentiam agnoverint ſcriptorumq; monumentis confirmaverint. Qvamobrem & faciliorem veniam mihi polliceor, ſi in hâc arduâ materiâ rem ubiqve acu non tetigero; Interea annuat cæptis & faxit* DEUS, *ut cedant in Sui Gloriam, Proximiq; Salutem!*

Eſto igitur cum DEO

# CAPUT I.

## *Qvid Nominis ſit Conſvetudo?*

*exponens.*

I. QVoad *Etymologiam* dicitur (α) Latinè *Conſvetudo*, *Aſſvetudo*, *Aſſvefactio*, deſcendunt à verbo *Sveſco*, unde & *Svetudo*. Hæc derivatur à *Suo*, i. e. necto, Conſuo, Aſſuo, qvia Conſvetudine aſſuitur aliqva diſpoſitio vel conſtitutio adventitia. *Nicol. Perott.ad Mart.Epigr.18.* unde & *Auguſtino qvaſi ſecunda & qvaſi affabricata Natura* dicitur Conſvetudo. (β) Græcè dicitur ἔθος, ἐθισμὸς, ἐθημοσύνη, inter qvæ ἔθος communi Lexicographorum conſenſu habetur pro primitivo, qvemadmodum & verbum ἔθω ex conſvetudine aliqvid facio, ab illo ſubſtantivo deſcendit. Plura videantur in *Theſauro Heinr. Stephani Græco-Latino.* (a) De Hebræo *Delek*, item Gallico *couſtume*, vel Italico *coſtume*, *uſanza*, nihil dicam, cum in his lingvis exoticis me non eſſe exercitatum libens fatear, qvamvis non ſit dubitandum, eorum omnium etymologiam emphaſin aliqvam præ ſe ferre; imprimis mihi placuit verbum Italicum *avezzare*, i.e. aſſveſcere, qvod à *vezzare*, blandiri, deducitur & ita Conſvetudo Naturæ qvaſi abblandiri indicatur. II. Qvoad *Synonymiam* præter jam adducta à Latinis qvoqve Conſvetudo vocatur *Mos*, aliqvando cum Adjectivo *receptus*, item *Ritus*, Græcus συνήθεια, δίαιτα, (qvod vocabulum rerum non naturalium uſum conſvetum denotat & apprimè ad noſtram tractationem facit) item τρόπος; Sic & vocabulum νόμος apud *Hippocrat.* legitimum inſtitutum ac receptam uſu & conſvetudine opinionem denotare demonſtrat *Foëſ. in Oecon.* III. Qvoad *Homonymiam* ſive Æqvivocationem Conſvetudo non ſolùm in Medicinâ locum invenit, ſed & freqventiſſima & conſideratu digniſſima in (α) *Societate civili* vel republicâ, ubi *Conſvetudo* dicitur *jus qvoddam moribus inſtitutum, qvod pro lege ſuſcipitur & tenetur, cum hæc deficit*; verbis *Iſidori L.2. Etymol.* vid. *Stob. Sermon.42. de Legibus & Conſvet. Conſvetudines reverâ patriæ & fortaſſis vetuſtiores ipſis legibus non minus, qvàm Leges obſervandæ ſunt: Hierocles apud eundem.* Hinc & *Schneidew. ad §. 9. Inſt. de I. N. G. & C.* nervosè deſcripſit:

*Con-*

*Conſvetudo ſeu jus non ſcriptum eſt, qvod moribus & uſu Populi vel majoris partis ipſius populi initiatum, continuatum & introductum, vim legis habens.* Ita qvoq; in (b) *Eccleſiâ* Conſvetudinis magna habetur ratio, dum ritus recepti & inveterati, licet indifferentes & ἀδιάφοροι, non temerè mutari debent, ſed meritò retinentur. *In iis enim rebus, de qvibus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, Mos populi DEI vel inſtituta majorum pro Lege tenenda ſunt.* Et: *Faciat qvisq;, qvod in eâ Eccleſiâ, ad qvam venit, invenerit: ipſa qvippe mutatio conſvetudinis, etiam qvæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Auguſt. Epiſt. 86. & 118.* ubi plura de Conſvetudine leguntur. (c) Sumitur etiam freqventer vocabulum Conſvetudinis pro *Amicitiâ* & familiari vivendi ratione domeſticâ inter amicos, vicinos, domeſticos, conjuges, apud *Cic. Terent. Jul. Cæſar.* & alios; imò aliqvando etiam denotat Conſvetudo & conſveſcere *commercium venereum* cum mulieribus apud *Sveton. & Cic.* (d) In *Philoſophiâ morali* Aſſvefactionem vel Conſvetudinem ipſam cauſam proximam eſſe virtutis & antecedentem Summi Boni, patet ex *Ariſt. L.2. Ethic. c.1.* Confer ſimul ad *B. Dn. Brunonis Speculum Prudent. Moral. L. 2. c. 3. §. 2.* Et *Pl. Reverend. & Excell.* DN. DÜRRII, *Fautoris mei honoratiſſimi Inſt. Ethic. Part. 3. Sect. 1. c. 1.* Enim verò omnes modò enumeratæ Conſvetudinis acceptiones ſunt extrà forum medicum, qvas meritò miſſas facio, ſaltem ulterius ſollicitus de hâc, qvæ ſeſe extendit per omnes partes Artis Medicæ, quâ principes, qvâ miniſtras, qvemadmodum ex ulteriori pertractatione conſtabit.

## CAP. II.

## *Definitionem Realem proponit & explicat.*

DUplici verò reſpectu *definiri* poteſt *Conſvetudo* in Medicinâ 1. ceu *cauſa Procatarctica* vel Externa, & ità *Conſvetudo* dicitur *Uſus rerum non naturalium uno eodemq; modo per longum temporis tractum obſervatus & continuatus pro rerum ſecundum vel præter naturam continuatione.* 2. Ceu *Cauſa* interna & *Propinqva*: Et hoc ſenſu eſt *Humorum Spirituum & Partium ſolidarum corporis conſtitutio vel priſtinæ & nativæ conformis vel diſcrepans per & propter uſum rerum non naturalium eodem ſemper modo continuatum usq; eadem inducta, ſive ſecundum ſive præternaturaliter ſeſe habens.* Utra retineatur Definitio, perinde



erit,

erit, cum ambæ ad unum ſcopum tendant, demonſtrantes, qvod *Conſvetudinis ſit magna vis & veluti altera natura*, verbis *Ciceronis in Læl. & Tuſcul. qvæſt. tantamq; vim habeat in omnibus, quæ ad Medicinam ſpectant, ut ipſe Hipp. videatur inter maximè naturalia eam conſtituiſſe; & ſecundam poſt naturam indicationis vim ei tribuiſſe*, teſte *Galen. Com. 3. in Hipp. de iis, quæ in medicatr. t. 20. Genus prioris* definitionis eſt *Uſus* ſive *uſurpatio*, quo vocabulo comprehenduntur Actiones & Paſſiones, Phyſicæ & Grammaticæ, pro diversâ rerum non naturalium conditione: ita Aëris per inſpirationem attractio eſt actio, uſus aëris ambientis potius conſiſtit in paſſione &c. In *alterâ* definitione *Genus* dicitur *Conſtitutio*, Græcè κατάστασις & eſt idem, qvod Status vel conditio, vel forma & Idea alicujus rei, denotatq; complexum accidentium vel attributorum Humoribus, Spiritibus & Corpori ſolido humano quoad varium ſecundum qvantitatem, qvalitatem reliqvaq; prædicamenta accidentalia conſiderandi modum competentium, ita ut illarum dictarum trium corporis humani ſubſtantiarum Conſveta copia, Conſveta inopia, Conſvetus numerus, Conſveta puritas, impuritas, mollities, durities, continuitas &c. hîc intelligatur. In *Differentiâ ſpecificâ* utriusqve definitionis continetur *Subjectum* & *Formalis ratio* Conſvetudinis, ita qvidem, ut in priori Materiam ſive Subjectum conſtituant *Res non naturales*, ceu *media in ſangvinem* (ſub intellige & reliqvos humores & ſpiritus, imò & partes ſolidas) *efficacia, qvibus res ſecundum vel præter naturam juvantur aut deſtruuntur*, eas accuratiſſimè deſcribente *Nobiliſſ. Excell. & Experientiſſimo* DN. MAURICIO HOFFMANNO, *Archiatro Electorali & Marchico-Brandenburg. ut & Norimberg. Facultatis ſuæ Profeſſore primario celeberrimo, Domino, Fautore & Præceptore meo obſervandiſſimo, Syn. Med. D. 18. §. 1.* Etenim *omnes & ſinguli, prout vel rectè utuntur rebus non naturalibus, vel malè, ita ſangvinem gignunt meliorem, deteriorem.* Hinc *cum in illis nihil peccatur, ſanitas eſt; cum peccatur, morbus*, verbis elegantiſſimis *B. Caſp. Hofm. L. 3. Inſt. Med. c. 6. §. 6. c. 7. §. 2.* Verùm non tantum *illæ ſex ſimpliciter neceſſariæ*, puta Aër, Cibus & Potus, Somnus & Vigiliæ, Motus & Qvies, Excreta & Retenta, & Affectus animi hoc nomine intelligendæ ſunt, ſed etiam duæ aliæ *ſecundum qvid Neceſſariæ*, Medicamenta & Chirurgicæ operationes ſecundum accuratam diviſionem *venerandi* DN. PRÆSIDIS *in Dogmat. ſuis, p. 73.* Qvandoqvidem verò harum omnium dexter vel ſiniſter uſus conſvetus ſcaturigo & fundamen-

tum

tum eſt Conſvetudinis, qvæ juxta alteram definitionem in ipſis Humoribus, Spiritibus & Corpore ſolido obſervatur; nemo mihi vitio vertere poterit, ſi rerum illarum nonnaturalium & qvidem hoc in capite ſimpliciter neceſſariarum conſvetudinem paulò prolixiùs declaravero, qvamlibet exemplo qvodam, vel à ſimili vel à contrario, confirmaturus, reliqvarum verò ſecundum qvid neceſſariarum expoſitionem ad ſeqvens caput reſervaturus. Ita (1.) *Aër conſvetus* ſive intrò admiſſus, ſive extrà ambiens, ratione qvantitatis, qvalitatis, loci & temporis qvantum valeat & poſſit, demonſtratu facilè eſt per exempla, quæ habet *Caſp. Hofm. in ſuis Inſt. Med. L. 5. C. 40.* ubi eleganter dicit: *Aërem vitioſum minus lædere incolas propter conſvetudinem, certum eſt.* Et qvis neſcit, metallifoſſores aërem ſubterraneum in fodinis citra jacturam ſanitatis perferre, qvem alii absq; periculo minimè perferrent inſveti. Memorabile exemplum conſignavit *Zacut. Luſ. Prax. admirab. L. 3. obſ. 99.* de piſcatore qvodam ſene, qvi ſpectans magnificentiſſimum Sebaſtiani Luſitaniæ Regis introitum in oppidum aliqvod maritimum, ſubitò in terram, veluti attonitus, concidit, qvem duo Medici fruſtrà pro apoplectico curare tentarunt prognoſticis tandem relinqventes, prudentiſſimo tamen *Thomæ à Veiga* Archiatri Regii judicio, illum ex aromatum in plateis propter frondes fragrantes & ſuffimenta copioſiora odore fortiori in repentinum hoc malum incidiſſe, & adhibito ſimili conſilio, ut æger denuò ad littus apponeretur & algâ limoq; cooperiretur, brevi temporis ſpacio priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Qvod (2.) *Alimentorum,* qvæ dextrè edendo & bibendo in corpus aſſumpta, ibidemq; cocta, materiam humoribus & ſpiritibus offerendo ſanitatis conſervationi & conſtitutioni conferunt, uſus maximè & ſanctè in conſvetudine qvoad qvantitatem, qvalitatem & utendi modum obſervandus ſit, ſole meridiano clarius eſt, & qvotidiana experientia hoc confirmat. (α) Qvoad *qvantitatem* exemplis non opus eſſe arbitror, cum qvotidie obvia ſint, qvod alii majorem copiam ciborum devorare, alii intemperantius bibere conſveverint; & ſi id protinus facere deſinant, continuò ſe ægrius habere ſentiant, ſicuti *Dionyſius tyrannus*, qvi in urbis ſuæ obſidione paulò diutiùs conſvetum potum largiorem intermittens tabe correptus mox interiit, teſte *Ariſt. Sect. 28. probl. 1.* (β) Qvoad *qvalitatem* etiam extrà dubium eſt & in vulgus notum, plebejos,

ruſti-

ruſticos & ſimilis ſortis homines alimenta craſſioris licet ſucci difficiliorisqve concoctionis melius perferre, cibo & potu melioribus. Hiſtoriam ſi placet legere, libet huc referre, qvam è *Solenandro* notavit maximè venerabilis DN PRÆSES *in Dogmat. p. 477.* Accedit, qvod alii araneos, alii etiam opium innoxiè ferè inſtar alimenti deglutiverint. Et qvem latet, Polonos, Ruſſos & alios confines populos ſpiritum vini vel vinum uſtum dictum in majori copiâ exhaurire, qvod in noſtris oris nec licitum nec tutum foret. (γ) Per *Modum utendi* intellectum volo varias circumſtantias temporis, ordinis, numeri, cibationis. Qvæ omnia ſi vellem exemplis ſingularibus demonſtrare, non qvidem labor, qvin potius charta deficeret. Legatur ſaltem locus à contrario *Coi* principis *de veteri Medicina n. XIX. XX. edit. Lind.* Cujus confirmationem egometipſe inter privatos parietes & extrà illos audivi, qvod qvidam manè non jentantes, horâ prandii inſtante adeò eſuriverint, ut maniſeſtiſſimum dolorem circà ventriculum cum variâ proſtratione animadvertentes, vix cibum in menſam apponendi moram perferrre potuerint. (3.) *Somnus & Vigiliæ* ſuum qvoq; addunt ſymbolum, nam qvi parum dormire conſveverunt, minus offenduntur illis, qvi longiori ſomno ſunt asſveti, ſi parum dormire cogantur. Imò ſomni etiam qvotidiani & naturalis cauſam primariam eſſe Conſvetudinis vim, propter qvam ſtatis horis ſpiritus animales feriari incipiunt, *qvaſi demiſſo motûs ſui elatere introrſum cedentes ac qvieti indulgentes*, rectiſſimè & egregiè demonſtravit *Clariſſ. Thom. Will. de Anat. Brut. P. 1. C. 1.* In ſpecie hic anſa dicendi nobis daretur de *ſomno meridiano*, qvô hodieqve & olim etiam in hoc Lycéo Clariſſima Virorum doctorum Lumina per conſvetudinem non ſolùm citrà noxam, ſed & cum commodo melioris chylificationis, indulſiſſe percepi. Verùm & circà hoc argumentum prolixiorem declarationem invenies in *Excell.* DN. PRÆSIDIS *Dogmat. p. 626. ſeq.* (4.) *Motus & Qvies* pari paſſu ferè cum ſomnô & & vigiliis ambulant teſtimonio anteà laudati DN. D. HOFFMANNI *Diſp. XVIII. Synopſ. §. 9.* Hinc & Conſvetudo circa illas res obſervata aut neglecta ſanitatem juvare, vel inſignes ejus mutationes inducere poterit. Exempla qvotidie occurrunt. Qvod ſi qvis ſaltem motionem corporis inſvetam paulò fortiorem ſuſceperit, qvas qvæſo moleſtias non ſentit altero tertiove die? Hoc etiam indicare voluit *Hippocr. 2. Aphor. 49.* Nimirum *Corpora inſveta ab*

*exer-*

*exercitationibus delaſſantur*, verbis ejusdem *L. 2. de Diæt.* (5) Qvid *Excreta & Retenta* hic poſſint, videmus in illis, qvi alvi excrementa etiam urgente officii, v. g. in aulis principum, aut congreſſuum ſeriorum, neceſſitate cohibere conſveverunt, hi minus offenduntur aliis, qvi certis horis eadem excernere conſveti retinent. Exemplum eſt præter aliud notatu dignum *Tychonis de Brahe*, qvi ex nimiâ urinæ retentione inſvetâ vitam cum morte præproperâ commutare coactus, teſte *Linden. Exercit. 13. §. 260.* Et aliud ſexagenarii cujusdam qvotidie, dum è lecto reſurgeret, diluculo alvum deponere asſveti, at per terrorem propter ædium, in qvibus degebat, incendium & occupationes in transportandis mobilibus bonis obliti, qvi tandem autem memor conſvetæ evacuationis, ſed irrito conatu, qvin dolore truculento oppreſſus, volvulo correptus poſt 5. horas nullis juvantibus auxiliis vitam qvoqve finivit *Zacutus d. loc. Obſ. 101.* Qvod ſi ad exempla aliarum conſvetarum excretionum in utroqve ſexu vellem divagari, bone DEUS! qvot & qvanta occurrerent circà fluxum ſangvinis hæmorrhoidum, menſtruum, ſeminis & lactis excretionem? verùm brevitati ſtudere nunc animus eſt. (6.) Nec qvoad *Animi Pathemata* Conſvetudo experientiâ deſtituitur. Alii enim, qvi vitam duxerunt per multos annos implicitam curarum, afflictionum, mœrorum conſvetudine, facilius hæc pathemata tolerant: alii contra talibus inſveti ex qvâvis animi commotione turbantur & in periculum vitæ conjiciuntur. De illis etiam vulgò dici ſolet: Er iſt der Creutz/der Sorgen und Kümmernuß ſchon gewohnet/es thut ihm nicht mehr an. Qvidam adeò iracundiæ commotionibus asſveverunt, etiam ad ſenium usqve, ut ipſis videatur ira cedere in nutrimentum longævitatis. Alii verò ſtatim in graviſſima per iram incidunt ſymptomata, imò in ipſam qvandoq; præproperam mortem, qvemadmodum hoc de ſervo barbaro legitur apud *Galen. L. 2. de mot. Muſc. C. 6.* Exempla plura ſuppeditat qvotidianum vitæ humanæ theatrum. Lubens prætereo brevitais ſtudio alias conſvetudines extraordinarias circa res partim nonnaturales, partim præternaturales dicendas. Reperiuntur enim homines, qvi ex temporum intervallis certis patiuntur fluxum ſangvinis per diverſas partes: Alii patiuntur diarrhoeam, choleram; Alii varicibus, ulceribus, puſtulis, veluti critico qvodam motu conſueto certis temporibus infeſtari ſolent. Videatur *Gal. l. 4. de ſan. tuend. c. 4.* In *alte-*

 *râ*

*râ* definitione *Subjectum* eſt *Corpus Humanum* cum ſuis tribus ſubſtantiis vel partibus eſſentialibus *Humoribus*, *Spiritibus* & *Membris ſolidis*. Ubi qvidem per *Humores* non ſolùm *Utiles*, Chylus, Lac, Sangvis, Semen, Succus nutricius & nervoſus; ſed & *Inutiles* ſive excrementitii naturales, Urina, Alvi feces, Sudor, Saliva, Sangvis menſtruus & hæmorrhoidalis, intelligendi ſunt; qvemadmodum & ſub *ſpiritibus* non tantum tres *legitimi*, Animalis (qvi cum liqvore nervoſo coincidit) Vitalis, ſive Flamma ſangvinea, Aura vitalis, Biolychnium aliis dictus, & Naturalis (per qvem ſi qvis vel Fermentum ventriculi chylificans vel Spiritum Genitalem intellexerit, judicio *Excell.* Dn. Præsidis non errabit) ſed & *ſpurii*, ut ſunt Vapores, Flatus, Fuligines, comprehenduntur. De his omnibus dici poteſt & ſolet, qvod per uſum rerum non naturalium conſvetum conſveti qvoqve reddantur. Et in hâc ſignificatione *Galenus* ſine dubio ex Autoritate Medicorum ſemetipſo antiqviorum *Conſvetudinem adventitiam naturam* rectiſſimè vocari dixit *L. 2. de Temperament. C. 4.* & *L. 2. de mot. Muſc. c. 7.* qvia per Naturam nihil aliud intelligi poteſt ac debet, qvam trium illarum corporis partium diſpoſitio vel conſtitutio, unde propterea *naturam* in *originalem* & *acqviſitam* diſtingvere non dubitavit. *L. 11. Method. med. c. 1.* *Formalis ratio* Conſvetudinis conſiſtit vel juxta priorem definitionem in applicationis vel *usûs rerum non naturalium identitate*, non habito reſpectu, an rectè vel perperam hoc fiat; Vel juxtà poſteriorem, in rerum dictarum eodem ſemper modo uſurpatarum veluti in naturam priſtinam *commutatione* & *applicatione*; Cujus utriusqve effectûs autor & cauſa efficiens nulla alia eſt, qvàm Anima ſenſitiva, fatente ipſomet *Galeno L. 4. de Hippocr. & Plat. decret.* dicente: *Conſvetudine fit, ut animæ irrationalis vis in eo, qvo qvis aſſveverit, ſenſim inoleſcat &c.* Debet autem per ſenſitivam intelligi non modò Flamma aut Spiritus vitalis, vel Flammea illa ſangvinis aura; ſed & Spiritus animalis, ſive aura liqvoris nervoſi lucida, qvemadmodum nervosè illam animam deſcripſit *Th. Willis de Anim. Brut. Part. 1. cap. 4.* Utraqve enim ſimul & collectivè accepta omnium in corpore humano functionum organicarum exiſtit autor & ſingula, tùm partes, tùm humores, vivificat, actuat & irradiat. Unde non poſſunt non Effecta illa vel Accidentia ſecundum aut præter naturam conſeqvi, ut *Actiones* trium corporis regionum, Naturales, Vitales, Animales, fiant *Conſvetæ*, *Excernenda*

con-

conſveto tempore ac modo excernantur, *Retinenda* retineantur, & *Qvalitates* externæ ſenſiles conſveto h. e. eodem ſemper modo ſeſe habeant. Atq; hæc circa Definitionem Conſvetudinis geminam dicta ſufficiant.

## Cap. III.

## *Differentias Conſvetudinis explicat.*

QVandoqvidem Conſvetudo locum habet in utroqve valetudinis humanæ ſtatu, qvemadmodum ex dictis in Cap. præcedenti conſtat, facilè colligere eſt, qvod hinc neceſſariò fluat *differentia* Conſvetudinis præcipua, ut *alia* dicatur *Rationi conſentanea*, *Rationalis*, *Bona*, Laudabilis, Utilis. *Alia Irrationalis*, *Prava*, *Præternaturalis*, Noxia, Temeraria. De qvâ differentiâ videatur Dn. Præs. *in Dogm. p. 566. & in not. ad Jeſſen. p. 239. Illa* vel conſiſtit in dextro uſu rerum non naturalium, vel dextrâ qvoqve ſangvinis, humorum ſpirituum & membrorum ex illo uſu continuatâ conſtitutione; *hæc* in ſiniſtro aut abuſu dictarum rerum, vel detrimento circa tres corporis ſubſtantias vel partes inde orto. Libet ſaltem hic pauciſſimis oſtendere, qvod etiam detur Bona & Prava Conſvetudo in uſu rerum nonnaturalium ſecundum qvid neceſſariarum. Nam reperiuntur homines, qvi qvotannis ſalutariter ſolent vel ſemel, verno videlicet, vel bis, verno & autumnali tempore, evacuare corpus medicamentis dejectoriis, venæſectione uti; Circa hanc conſvetudinem refert ex *Trincavellio Dieterich. in Jatréo num. 238.* egregiam hiſtoriam de nobili & religioſâ qvadam muliere in qvodam monaſterio, qvæ adeò aſſveverat ſangvinis miſſioni, ut qvotannis in vere cogeretur ſangvinem detrahere, alioqvin non poterat ſana degere, eamqve conſvetudinem ad octuageſimum uſqve vitæ annum ſervavit, bèneqve pertulit. Alii fonticulum ſibi parari curant, cujus evacuationis genere adeò qvidem asſveſcunt, ut absqve valetudinis periculo carere neqveant; Singulare hujus conſvetudinis exemplum legitur apud *Zacut. Prax. admir. d. L. 3. Obſ. 102.* de fœminâ qvadam pleuritidi qvotannis verno tempore obnoxiâ, ſed per fonticulum in brachio factum liberatâ, qvo tamen aliqvoties ex propriâ delicatulâ protervitate occluſo, ſemper in idem malum majori cum vehementiâ inciderat. Poſſent & alia exempla (ſi fortaſſis de fide hujus Autoris qvis dubitaret) afferri nullo negotio, niſi ipſa qvotidiana experientia hoc confirmaret.

Alii verò non pauciores decepti hâc conſvetudine præter neceſſitatem & urgentem indicationem, imò cum manifeſtâ jacturâ ſanitatis, talibus indulgent evacuationibus, ſæpè importuno tempore, id qvod iterum Dn. Præs. *in not. ad Jeſſen. p. 233. ſeqq.* ſatis ſuperqve demonſtravit. Si qvis inter Bonam & Malam Conſvetudinem velit ſtatuere *Indifferentem* vel *mediam*, qvæ fortaſſis Neutro ſtatui reſponderet, illi qvidem non refragabor, qvamvis nullam videam neceſſitatem. Sed & aliæ differentiæ proponi poſſent, v. g. qvod alia ſit *longa*, vel inveterata, aut aſſidua *Gal. l. 2. de Tempor. c. 4.* alia *recentior*, qvæ non tàm longo temporis tractu introducta eſt; qvædam *continua*, qvæ nullo ferè non tempore obſervatur, qvalis eſſe ſolet circa aëris & victûs uſum; qvædam verò *certis* ſaltem *temporibus uſitata* v. g. circa uſum pharmacorum, venæ ſectionis, ſcarificationis &c. aliqva etiam dicatur *vernacula*, hoc eſt, certæ alicui regioni propria *Gal. L. qvod animi mores ſeq. corp. temp. c. 8.* Verùm cum hæ differentiæ vel per ſe vel ex dictis intellectu ſint faciles, ad alia, videlicet ad Semiologiæ uſum circa Conſvetudinem, propero.

## Cap. IV.

### *Dignotionem & Prænotionem exhibet.*

CUm ſuprà ſatis demonſtratum ſit, Conſvetudinem in foro Medico rationem Cauſæ vel Remotæ vel Propinqvæ Sanitatis & Morborum obtinere, facilè hinc eluceſcit neceſſitas illam probè cognoſcendi &, qvid ex illâ vel ſperandum vel metuendum ſit, prænoſcendi; cum reverâ in hoc artis Medicæ vertatur cardo. Qvemadmodum verò cum omnibus aliis cauſis ſive naturalibus ſive præternaturalibus comparatum eſt, ut optimè per effectus ſuos cognoſcantur; ſiqvidem *qvæcunq; ab aliis tanqvam à cauſis fiunt, hæc ſunt illorum ſigna*, verbis *Gal. L. 5. de Loc. Aff. c. 7.* Ita & Conſvetudo per accidentia ceu effecta potiſſimum innoteſcit & *dignoſci* poteſt, *Bona* qvidem & naturæ conformis ſive ſecundum naturam *per triplicia Accidentia Sanitatis*, nimirum Actiones integras conſvetas, qvas neceſſario comitantur Excernendorum & Retinendorum Conſvetudo, & Qvalitates corporis externæ morem receptum ſervantes; *Prava* vero & præternaturalis per *triplicia Symptomata*, Actiones læſas freqventiores & conſvetas, Excreta & Retenta

habi-

habitualiter vitioſa & qvalitates ſenſibiles inveteratè depravatas. Et licet aliqvis obiicere poſſet, qvod non omnis prava conſvetudo ſtatim talia ſymptomata efficiat, argumento *Aph. 50. ſ. 2.* qvod conſveta deteriora etiam minus moleſta eſſe ſoleant & per conſeqvens nec actiones adeò lædant, nec excernendorum aut qvalitatum vitia excitent; Ei tamen facilè reſponderi poteſt, qvod nec dum ſimpliciter prava conſvetudo dicenda ſit, ſed ſaltem comparativè deterior & adhuc ſub latè bonâ comprehendi poſſit. Qvod ſi verò ſimpliciter prava adfuerit Conſvetudo, etiam neceſſariò ſeſe per ſymptomata manifeſtabit. Hæc ſigna utriusqve Conſvetudinis principaliora ulteriùs confirmantur per ſecundaria attributorum Ætatis, Sexûs, Regionis, Anni temporis, Vitæ, Officii &c. ſigna, qvæ omnia ſpecialiùs per exempla illuſtrare non admittit inſtituti mei ratio. *Prænotio* generalis ſummatim in hoc conſiſtit; Qvod omnis conſvetudo longa verè in adventitiam naturam mutata, etiamſi in ſeſe minus laudabilis, nihilominus minùs periculoſa ſit, qvàm ſubiti conatus mutationis conſvetudinum in meliorem. Id qvod ex *Hippocrate* non modò *citato Aph.* verùm etiam paſſim ex aliis textibus liqvet, videl. *de veter. medicin. ſect. 2. de Rat. vict. in acutis.* Qvorum locorum verba ſi vellem apponere, nil niſi actum agere viderer. Speciale ſaltem circà inſomnia adhuc occurrit prognoſticum apud eundem *L. de inſomniis XIX. ed. Lind. Qvæcunqve homo ex conſvetis ac familiaribus ſe videre putat, ea animæ concupiſcentiam ſignificant;* qvod non videtur omni carere ratione, qvia appetitus animæ movetur per objecta conſveta: Unde alibi dixit: *Affectus & cognitiones à conſvetudine fiunt.* Qvando verò alter Medicinæ princeps *Galenus* hoc generale tulit de Conſvetudine judicium *comm. 2. in Progn. Hipp. text. 11. Ad hunc modum res ex Conſvetudine habet: Qvod conſvetum eſt, bonum eſt: inconſvetum verò malum: & t. 15. Optimum eſt, qvod qvàm maximè fuerit conſvetum;* ſciendum hoc de Conſvetudine bonâ & naturæ conformi eſſe exponendum, non de ſimpliciter pravâ & irrationali. Ipſe enim *Hipp.* in *t. allegato* naturam & conſvetudinem conjunxit. Accedit, qvod Conſvetudo ſimpliciter prava altas radices agere neqveat; ſed hominem facilè deſtruat. Nec obſtat Textus *Hippocr. ſect. 2. de Rat. vict. in acut. t. 21. ubi vitioſum victum ſemper ſibi ſimilem tutiorem eſſe* dixit *ad ſanitatem, qvàm ſi qvis ſubitò ad meliorem ſe transferat;* ſiqvidem *Galen.* alibi videlicet *1. de fractur. t. 19.* notavit, vocab. φαῦλος non ſemper ſigni-

ſignificare rem pravam, ſed & ſimplicem, vilem, vulgarem, & ità mediocriter ſaltem vitioſam. Egregium qvoq; & notatu dignum eſt *Galen.* præſagium, qvando *omnem uniformem conſvetudinem periculoſam* dixit *Com. ad cit. aph. 50. ſ. 2.* rationem addens: qvia humanæ res variis qvandoq; inopinatis caſibus & mutationibus expoſitæ ſunt; unde & conſilium ſtatim adjecit, ſatius eſſe, ſi qvis maturê omnia tentet, ne ex ſubitâ mutatione uniformis conſvetudinis detrimentum capere cogatur. Verùm hoc potius ad ſeq. ultimum capitulum pertinet.

## Cap. V.

### *Methodum Agendorum circa Conſvetudinem generalem adumbrat.*

PErſpectis hactenus iis, qvæ circà Theoriam Conſvetudinis generalem in Medicinâ notatu potiora & digniora viſa fuerunt, extremis ſaltem, qvod dicitur, digitis attingam *Agendorum* qvoqve circà eandem *rationem.* Ubi ſtatim occurrit inqvirendum, Juxtà qvam methodum tractari debeat Conſvetudo? Etenim hoc indubitatum præſupponitur, cum juxta utramqve definitionem Conſvetudo cauſam vel procatarcticam vel internam repræſentet, qvod inter indicantia primaria referri debeat. Hinc veriſſimè *Galen. maximam eſſe à Conſvetudine indicationem* dixit *L. 11. Meth. med. c. 3.* ſiqvidem Naturæ, hoc eſt, Temperamento, Conformationi & Continuitati earumq; cauſis plane reſpondet. Qvemadmodum verò duplex Naturalium rerum occurrit in Medicinâ ſtatus, ſecundum & præter naturam; Ita & Conſvetudinem duplicem eſſe Bonam vel Naturæ conformem, & Pravam ſive Præternaturalem ſupra *C. 3.* ſatis oſtenſum eſt. Harum *illa* tractari debet juxta *Methodum Hygienen* ſive conſervativam, ex Generali indicatione: *Similia ſimilibus conſervanda*, hac tamen lege, ſi exactè bona fuerit & Naturæ ſtatui perfectiori reſponderit; qvod ſi verò latè ſaltem bona & cum ſanitatis latitudine conveniat, ne in pravam degeneret, paululum & lentè per contraria inſolita mutanda, qvi ſcopus eſt *Aph. 50. ſ. 2.* Probè inſuper notetur terminus *ſimile*, qvi minimè confundendus cum pronomine *idem.* Cavenda igitur in utrâqve, bonâ licet, conſvetudine uniformitas, uti *cap. præced.* ex *Galen.* dictum; qvin potius res non naturales qvoad varia attributa variari debent, ità tamen, ut ſimilitudinem

nem non penitus amittant. Huc ſpectat locus notiſſimus *Cornel. Celſi. lib. 1. c. 1. Sanus homo, qvi & benè valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare debet legibus, ac ne Medico neqve aliptâ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri eſſe, modò in urbe* &c. & tandem concludit: *Cavendum, ne in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumantur.* i. e. ne ſanus etiam latè talis, nimis ſeſe adſtringat legibus & remediis, qvæ ægris præſcribi ſolent, ſed liberius, ſalvo tamen moderamine debito, vivat. *Prava* verò & verè præternaturalis Conſvetudo *juxtà methodum Therapeuticam* ſive Medendi corrigi & curari debet ex generali fundamento: *Contraria contrariis curanda;* Hâc obſervatâ cautione, ne penitus conſvetudo negligatur, ubi qvidem morbi indoles & aliarum circumſtantiarum conſenſus permiſerint. Et hoc ſine dubio voluerunt *Hipp.* & *Gal.* in ſupra *allegat. locis de Rat. Vict. in acutis*, alibiqve. Interim *ubi neceſſitas urſerit contempta conſvetudine, qvod optimum eſt, præſtandum erit. Eò enim pertinet, qvod ſcribit Hipp. 1. Aph. 6. Extremis morbis exqviſitè extrema remedia optima*, verbis *Joh. Argenterii Comm. ad Hipp. 2. Aph. 50.* v. g. ſi qvis acutiſſimè febricitaret, aliàs vino per omnem vitam conſvetus, ei tamen fortaſſis non conſultum foret, in ipſo morbi incremento & vigore vel tantillum concedere. Verùm ad ſpecialem Conſvetudinis tractationem tranſire, minimè mearum eſt partium, ſed libens meritoq; exercitatiſſimis Medicis hæc determinanda relinqvo. Hoc ſaltem indicaſſe mihi ſufficiat, qvod ad utriusq; Methodi Indicationes ritè applicari debeat *materia Medica* triplex *Diæta, Pharmacia,* & *Chirurgia.* Et cùm circa qvamlibet experientia teſtetur, qvod homines interdum rei cuidam vel ſeſe aſſvefecerint, vel contrà aliqvam vehementiſſimè nunqvam non abhorruerint, utrumqve minimè ſit negligendum. Ita retulit mihi *Excell.* Dn. Præses, de Matronâ qvadam corpulentâ & Plethoricâ, qvæ Venæſectionem adeò abhorruit, ut mentione ſolùm illius factâ lipothymiam paſſa fuerit. Talia igitur non præfractè obtrudenda, nec illa, qvibus valdè qvis capitur, obſtinatè deneganda erunt. Tantum! Qvod ſi L. B. circa generalia Conſvetudinis plura legere expetis, qvære in *Gal. L. de Conſvet. Franc. Valleriol. Loc. Com. l. 1. c. 6.* aliisq; & invenies. Intereà, qvæ hîc pro ingenii tenuitate conſcripſi, boni conſule & dextrè interpretare.

COROL-

# COROLLARIA.

I. *Cœna prandio largior eſſe poſſet ac deberet, niſi prava ſeriùs prandendì conſvetudo irrepſiſſet, & invaluiſſet.*

II. *Citius curabitur aſſvetus habere febrem, qvàm non aſſvetus.*

I.

ASſveſcas rebus; Nil aſſvetudine majus:
Nam levis aſſveto mox labor omnis erit.
Macte Tui ſtudii, SCHAFFERE, ardore! Medendi
Ars benè ſuccedet, Teq; manebit Honos.

*CL. Diſput.* AUTHORI,
*Inqvilino ſuo & Amico perdilecto veſtigia B. DN. Parentis in curſu Medico gnaviter perſeqventi medias inter occupationes ex animo applaudit*
PRÆSES.

II.

*QVæ conſveta vocas, non ſunt conſveta; ſed eſto;*
*Sint ea; dum bona ſunt, ſunt meliora novis.*
*Sæpè ſcatet vitiis, laudem mos ſæpè reportat;*
*Hunc effers, illum temnis, utrumq́; doces.*
*Ignis ad aſtra meat, qvin Te Tuus ignis ad aſtra*
*Ducet, & egregio digna labore dabit.*

Hoc, qvicqvid eſt votorum,
fidei atq́; eruditioni
Nobiliſſ. DN. RESPONDENTIS,
Amici conſtantiſſimi,
dicatum volunt
COMMENSALE.

*FINIS.*